



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Statuta prouincialia et synodalia ecclesie Colonie[n]sis (Köln)

Colonie, 29. IX. 1492

Q[uod] plebanis no[n] deneget[ur] chryisma vel oleum sacrum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30901**

## Statuta

Item statutum de sacramentis pie memorie Sifridi Coloniensis archiepi predecessoris nostri de septem sacramentis inter alia statuta sua editum. quod incipit. Statuimus ut baptismus honorabiliter celebretur. Quod quidem statutum in omni sui forma pro instructione simplicium clericorum qualiter in administratione eorumdem sacramentorum se habere debeant volumus et precipimus observari.

De plebanis non denegetur chryisma vel oleum sacrum.

Latium etiam ut nullis plebanis chryisma vel oleum sacrum ab his qui hec administrare solent occasione cuiusvis petitionis cathedralici seu synodatici non solum denegetur vel subtrahatur. cum necessarium sit in vigilia pasche et alijs temporibus pro renovatione fontis baptismatis huiusmodi in ecclesijs haberi. sed ad solutionem predictorum dicti plebani si necesse fuerit vijs alijs compellantur ne prophanis ex alieno delicto sacramenta predicta que gratis dari debent indebite subtrahantur.

De statu religiosorum.

Item statuimus ut religiosi ordinis beati Benedicti abbatis in crastino exaltationis sancte crucis omni anno celebrent concilia sua in civitatibus cathedralibus et in monasterijs sui ordinis si qua sunt in eisdem. alias in vicino in aliqua ecclesia vicinitatis quam ad hoc viderint sibi aptam. ad quod concilium abbates singulorum monasteriorum quilibet eorum cum duobus monachis veniant et habeant inter se duos superiores abbates ordinis sui dicte dioecesis qui procurent ibidem legi regulam

## Henrici.

Item beati Benedicti. et provinciale concilium bone memorie domini Conradus Coloniensis archiepi predecessoris nostri super statu et regulari disciplina dicti ordinis per ipsum olim observatum. Quod quidem concilium sic incipit. In nomine domini Amen. Coradus dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archieps. saluti et bono statui omnium cuiuscumque professionis seu ordinis sed nostrorum domesticorum maxime debitores existentes in domino sicut in nostra visitatione negocium informationis et correctionis de clericis per statuta canonica expediimus competerenter. Ita de monachis satagentes id ipsum suo modo quo competens fuerit expedit. In primis statuimus quod omnium monasteriorum nigri habitus monachi ordinis sancti Benedicti divinum officium in cantando et legendo. secundum quod regula eiusdem sancti Benedicti precipit exequatur. et sic finit. Datum et pronunciatum Colonie quarto Idus Martij Anno domini. M. C. C. lxx. que etiam statuta sunt ab his predecessoribus nostris de observantia regule ibidem legantur. Et si qua per monasteriorum dicti ordinis statu et correctione fratrum rebellium ac divini cultus ordinatione ordinanda sunt ordinentur. et que ibidem diffinita secundum eorum regulam fuerint observentur. Si quoque vero monachi rebelles fuerint nec per abates corrigi possent. illos nobis vel loci diocesano volumus presentari.

Item de monachis et monialibus.

Item qui etiam monachi vel moniales beatorum Benedicti et Augustini ordinum propter superioris licentiam bona mobilia apud se vel apud alios in deposito negociationis aut alia de causa habuerint. illa suo superiori et conventui resignent et eisdem ad cautelam quo-